

ciavit. Si qua ergo illic est doctrinae repugnantia, ut novus Censor existimat, ea se primum implicavit Sanctissimi Doctor, cujus ego & verba, & sensum expressi. Non est tamen, ut fingitur, sed omnia apprimè congruunt, modo varia gratiarum genera distinguantur. Habuit Adam, cum a Deo primum est conditus, gratiam, imò & magnam, in habitu, seu in habitibus positam, quotquot ad constituendam originalem iustitiam consuebant: Habuit etiam cum peccavit, Adjutorium sine quo non fit opus, quod certe si illi, vel Angelis desuisset, non utique sua culpa cecidisset. Lib. de corrept. & grat. cap. 11. At non habuit, tum cum cecidit, adjutorium quo fit opus, seu per se efficax: quale ego & Adamo, & Angelis ad standum, necessarium agnosco, & laudatis Augustini momentis evinco. En tibi paucis ænigma solutum, & conciliatam, quæ novitum duntaxat Theologum morari poterat, in speciem dissonantiam.

CAPUT X.

Novo Augustini oraculo Fulgentii testimonium adducitur.

I. Idem robor, & quidem non minimum addit præclara D. Augustini sententia, Epist. 186. quam etiam Concilii secundi Arausiaci Patres in suos Canones transfuderunt. *Natura enim humana etiam in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo modo se ipsam Creatore suo non adjuvante servaret. Cum igitur sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit; quomodo sine gratia Dei potest reparare, quam perdidit? Quo ex loco duplex ego momentum elicio. Primum istud est: Natura humana, iudice Augustino, etiam integra, qualis nimirum primitus condita est, non poterat seipsam, Creatore suo non adjuvante, servare; sed si non eguisset auxilio per se efficaci, se ipsam Creatore suo non adjuvante servasset: quandoquidem auxilium sufficiens quod habebat, non ei dabat actum perseverare, sed posse perseverare duntaxat. Quid etiam, quod Augustinus his verbis aperte pronunciat, hominem in integritate conditum, destitutum fuisse aliqua gratia, seu aliquo adjutorio, quod illi ad perseverandum in ea integritate necessarium erat? Creatore suo non adjuvante, inquit, sine gratia Dei salutem custodire non potuit: at destitutus non fuit gratia, seu adjutorio sufficienti, & sine quo non: igitur destitutus fuit adjutorio efficaci, eoque ad perseverandum necessario. Alterum, & quidem longe gravius inde momentum elicio. Probat eo loci D. Augustinus adversus Semipelagianos, argumentum, quod ajunt a minori ad majus, hominem sine Dei gratia reparare in præfenti statu non posse, quod perdidit, quia sine Dei gratia in statu innocentie custodire non potuit quod acceperat: disertissima verba sunt: *natura humana, etiam in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo tamen modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret: ejusdem itaque, quantum ad efficaciam, gratia necessitatem agnoscit utroque in statu: alias argumentum ex ea abhorum statuum comparatione petitum, frivolum esset: at ulro citroque fatentur Theologi, quibuscum res nobis est, gratiam se ipsa efficacem prorsus esse necessariam ad reparandam nunc innocentiam amissam: igitur eamdem quoque fatentur necessariam oportet, ut Adamus acceptam innocentiam custodiret.**

Et quidem si Augustinus non nisi veratitem gratiam in statu innocentie agnovisset, tantum abest ut eo argumento preffi fuisset Semipelagia-

ni, ut reparationis gratiam efficacem in nobis agnoscerent; ut potius illud idem argumentum in Augustinum retorquissent, in hunc ferme modum: Eadem, te ipso iudice, desideratur gratia, ut homo possit modo reparare quod perdidit, quæ in Adamo desiderabatur, ut posset servare quod acceperat: sed ut posset ille servare quod acceperat, non nisi gratia veratilis, liberoque arbitrio subdita desiderabatur: igitur & hæc sola desideratur modo, ut possit modo reparare quod perdidit. Quo vel uno totam Augustini doctrinam ab imo sustulissent. Verum stat, æternumque stabit Augustini in Semipelagianos argumentum, alteri quod modo defendo principio nixum, gratia scilicet efficaci, in statu etiam nature innocencie penitus necessariæ.

II. Hinc videas quantum aberrat a scopo Anonymus Annotator, qui ut Augustini simul & facræ Synodi oraculum cavilleretur, reponit: de gratia habituali, seu de continua, ut ait, Dei operatione, & inspiratione amoris Divini, quo Deus hominem creando uberius informaverat, illic agi; non de peculiari, & actuali adjutorio, quo fuerit Adamus, dum a iustitia excidit, destitutus. Agunt enim vero contra Semipelagianos; utque illos acris exagrent, Adami exemplum urgent: qui cum sine gratia Dei, iustitiam, quam primum acceperat, custodire nequiverit; multo minus lapsus homo, sine gratia Dei, poterit iustitiam reparare quam perdidit. Porro Semipelagianis, non gratia habitualis, sed actualis, & quidem efficaci necessitatem inficiabantur, ut posset lapsus homo amissam iustitiam reparare: nec adeo erant habetes, ut habitualem gratiam, seu inspirationem habitualis amoris, ad amissæ iustitiæ reparationem, necessariam negarent; cum hanc ipsam habitualem gratiam, habitualemque charitatem, formam esse reparationis illius; seu justificationis peccatoris agnoscerent; quod soli etate nostra negarunt Lutherani, & Calvinistæ. Hanc igitur actualem, efficacemque gratiam Adamo, ad iustitiam retinendam, necessariam posuit Augustinus, & cum illo Synodus Arausiacana: alias nihil in Semipelagianos, de hac ipsa unice disputantes, productum Adami exemplum valuisset.

III. Novit id profecto D. Fulgentius, Sancti Augustini discipulus, ejusdemque doctrinae admirator, & heres, lib. 2. ad Thersyandum Regem cap. 2. ubi Angelos universos perinde casuros, fuisse docet, nisi Deus aliquos, quos vellet ex illis, virtute sua munivisset, ne & illi cum cæteris caderent: *Profecto cognoscitur uniformi cunctos opprimi potuisse ruine consortio, nisi quos vellet, a casu pravitate virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari, depravari non possit. Peculiariter itaque virtute, aliquibus Angelis, quibus singulariter voluit, a Deo concessa, factum est, ut in bono perseverarent. Ea porro virtus quantum fingi potest, nisi gratia efficaci? quandoquidem gratia sufficiens, seu adjutorium sine quo non, præterquamquod non est virtus agendi, non aliquibus duntaxat Angelis libera Dei voluntate data est, sed plane omnibus.*

Ludit enim vero, illudique, qui virtutem illam, de qua illic Fulgentius dicitur, Verbi Divinitatem esse respondet, gratiamque ut loqui libet increatam, ipsamque incommutabilem Dei Verbum; cujus Divinitatem contra Arianos probandam sibi sumperat Ruspensis Episcopus: non virtutem ex ipso Dei Verbo diffusam, bonique Angeli collatam, ut præ aliis in accepta iustitia perseverarent; quam gratiam, & quidem efficacem de more dicimus. Quamquam enim ita foret, staret perinde quod ex D. Fulgentio petitur argumentum: bonos scilicet Angelos peculiariter, singu-

singulariterque Divina virtute, hoc est, a Deo ipso fuisse protectos atque defensos, ne & ipsi communi ruina involverentur: atque ita illorum perseverantiam, ex liberi arbitrii virtute, generalibus, ac veratilibus duntaxat auxiliis adjuta, non esse profectam. Nec satis advertit, qui hoc nuper suffugium quaesit, ut D. Fulgentii testimonium eluderet, traficum fecisse Ruspensem Episcopum a Christo Domino, Verbo Dei, substantialique Dei virtute, gratiaque increata, ad creatam Dei gratiam, virtutemque accidentalem, quæ per Spiritum Sanctum, in Angelos, hominesque Divina liberalitate diffunditur. Unde & Christum Dominum esse ait, virtutem, quæ adjutorium præstat; hoc est, virtutem substantialem, quæ virtutem præstat accidentalem; Angelo quidem stanti, ne cadat; homini lapsu, ut furgat. Cum id absque virtutis alicujus effusione præstare non possit.

Tum postea minutatim exponens, quæ gratia bono Angelo necessaria fuerit, ne caderet; eandem illi necessariam fuisse respondet, qualis est homini lapsu necessaria, ut a peccato refurgat: & hæc vero qualis est, nisi efficaci? *Non alia (virtus) Fulgentii verba sunt, cap. 3. stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsu hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, in hoc, ut surgeret; in illo, ne caderet. In illo, ne vulneraretur; in isto, ut sanaretur. Ab hoc infirmitatem repulsi, istum infirmari non sinit. Illius esca, istius medicina. Efficacem igitur gratiam utroque in statu necessariam novit fidelissimus Augustini discipulus, quo nemo melius Magistri sensum ebibit, nemo feliciter explicavit: idque tantum inter utrumque statum discriminis posuit, quod Angelo, & homini sano gratia cibi esset, lapsu, ac fauci medicina. Nec immerito: Demus enim hic duos homines, agrum unum, sanum alterum: amobus vero necessitas incumbat in locum præruptum alicquem ascendendi: utrique scala erit opus, ut ascendat, nempe ob ingentiam corporis gravitatem, quod sursum ferri per se se non potest. Aegro tamen ultra scalæ subsidium medicina erit opus, ut ante sanetur, quam scalæ pedem admoveat. Non ab simili plane forte, gratia efficaci quovis in statu eget Homo, vel ob id unum, quod pietatis, & sanctitatis opus nativas cujusque creaturæ vires excedat; tamenovo insuper titulo gratia eget homo lapsus, ut a faciatis voluntatis infirmitas sanetur, ac reparetur.*

Expressit id erudite Doctor Anglicus 1. 2. quest. 109. art. 9. Sic igitur, inquit, *virtute gratuita superaddita virtuti nature indiget Homo in statu nature integre, quantum ad unum, scilicet ad operandum, & volendum bonum supernaturale: in statu autem nature corrupte, quantum ad duo: scilicet ut sanetur, & ulterius, ut bonum supernaturale virtutis operetur. Ulterius autem in utroque statu indiget Homo auxilio Divino, ut ab ipso moveatur. Quæ duo, & D. Fulgentii, & D. Thomæ testimonia alta mente desigere juvat, ne gratiam Conditoris actualem, Angelis, ac primis Parentibus necessariam, a gratia Salvatoris nobis nunc necessaria ideo distinctam putemus, quod illa sufficiens duntaxat esset, atque veratilis, ista efficaci a se ipsa. Cum contra, eo tantum ex capite gratiam Conditoris, & gratia Salvatoris discrimen habeant, quod prior adjuvans duntaxat esset, altera adjuvans simul & sanans; illa quidem ad modum cibi, ista ad modum medicinæ: illa ex liberalitate Conditoris, ista ex misericordia Salvatoris.*

IV. Nec audiendi sunt qui reponerent, Dei gratiam, quæ Fulgentio iudice operata est, in stantibus Angelis, ut ne caderent, ne vulnerarentur, Serry Tom. VI.

nec infirmarentur, peculiarem quamdam, singulari remque gratiam non fuisse, iidem in statu viæ concessam, quæ præ cadentibus juvarentur, ut ad terminum pervenirent: sed ipsam potius beatitudinem extitisse, iidem dum terminum affecuti sunt, retributam. Adeo ut nihil aliud sibi voluerit Ruspensis Episcopus, quam Deum bonos Angelos firmasse, consolidasse, atque ut ita dixerim, in bono fixisse, accelerata ac properata illis beatitudine; ne si longiores in via moras duccerent, ipsi quoque perinde ac cæteri laberentur.

Perfpectum enim est, de majori, uberiorique gratia, bonis Angelis in statu viæ concessa locutum illic esse Divum Fulgentium.

1. Quia gratiam utrique statui necessariam mutuo conferret, ac secum invicem comparat SS. Doctor: *Una est, inquit, in utroque operata gratia, in hoc, ut surgeret; in illo, ne caderet: Ea porro collatio, & comparatio inepta esset omnino: si de gratia homini lapsu in statu viæ concessa, de gratia vero Angelis in statu patriæ retributa, loqueretur.*

2. Quod de humana natura Fulgentius dixerat, hoc idem de Angelica dicit, ut illas ea in re pares faciat: *Illam scilicet aliene opis indignam pronunciaverat, istam juvenis egenam affirmat. Ut ergo naturam humanam utriusque alienæ opis egenam intelligit, ita utriusque naturam Angelicam juvenis egenam debuit intelligere: ne vel sic dispares essent ambæ naturæ, quas pares ostendere vult.*

3. De gratia Angelis necessaria ne caderent, Fulgentius loquitur. Cum enim dicat, *Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria; eam perinde Angelo necessariam fuisse supponit, ut ne caderent. Porro nemo est qui dixerit, beatitudinem fuisse bonis Angelis necessariam, ne & ipsi perinde ac cæteri caderent; quasi vero longiores in via ducendo moras, abstinere a peccato nequiverissent. Nomine itaque gratiæ bonis Angelis a Deo concessa, ne a iustitia deciderent, beatitudinem illis in patria retributam non intellexit Ruspensis Episcopus; sed viæ, ut Schola loquitur, adjutorium, gratiamque suapte natura operantem, & efficacem, quæ in illis operaretur, & velle, uti in lapsis hominibus operatur.*

Totam hujusce doctrinæ summam brevi verbo complexus est idem ille Fulgentius lib. de Trinitate Cap. 9. docuitque, quæ cautela Augustini Magistri sui dicta excipere debeamus, dum bene agendi, perseverandique voluntatem in Adami facultate relictam affirmat. *Homo, inquit, rectus, habebat liberum arbitrium, ut posset bonus esse, si vellet; non quidem sine gratia Dei, quæ ipsa regeretur voluntas, ut vellet. Nempe subintellectam semper esse vult Dei gratiam actualem, eamque non subditam voluntati, sed quæ voluntas ipsa regatur, ut velit.*

CAPUT XI.

Rationibus Theologicis agitur ab Augustino delibatis. Prima ex Orationis necessitate petitur, & Gelasii R. P. auctoritate defenditur, & confirmatur.

I. Ivi Augustini auctoritate pugnativum hæc genus, jam nobis est ratione Theologica disputandum. Ratione Theologica dico, non Philosophica. Abst enim ut eorum vitio laboremus, qui cum Theologiam ex officio, ac muneris debito tractandam sibi sumperint, spinis ac verpetis Philosophicis perpetuo hærent: quidquid probandum habent, ex Philosophicis institutioni-

bus repetunt: quidquid decernunt, ad Philosophia calculos revocant: quidquid argumentantur, ad Philosophia quisquillas per fas nefasque tradunt; ut vix illos dimidiatos Theologos appellaveris. Missis ergo Philosophia momentis, quibus creatæ ejuslibet voluntatis determinationem, non nisi ex pravia, & efficaci motione oriri posse demonstrant Thomista nostrates in *lib. de causis*, quas suse prosequitur Doctor Angelicus 1. 2. *quest. 109. & lib. 3. contra Gentes cap. 155.* quibus assentior & ego lubentissime; ad ea momenta me revoco, quæ Theologici instituti propria sunt, ut demonstrarem, Adamum in statu naturæ innocentis, ac etiam Angelos gratia se ipsa efficaci eguisse, ut in accepta justitia perseverarent: gratiamque versatilem, libero arbitrio subditam, quæ pro recipientis assensu, vel dissentiu efficaci, aut inefficaci fieret, a statu etiam innocentie eliminandam omnino esse.

II. Primum ex Orationis necessitate momentum repeto. Ponamus itaque Theologorum, cum quibus res nobis est, contrariam hypothesein, vacat omnis in Adamo orandi necessitas. Erat siquidem primus homo, ut illi quidem statuatur, gratia illa versatilei plene instructus, quacumque perseveraretur erat, modo illam liberi arbitrii assensu redderet efficacem: nihil ultra a Deo, ut perseveraret, expectandum illi erat, totumque jam ex liberi arbitrii confessione pendebat. Ut quid ergo Deum orasset, ut ab illo perseverantia donum impetraret? *Nam quid stultius, quam orare ut facias, quod in potestate habeas?* Anebat alias Augustinus *lib. de nat. & grat. cap. 18.*

Eo momento ex Oratione petito Monachos Adrumetinos urgebat SS. Doctor, ut perseverantiam non ex nobis, sed ex Dei dono esse demonstraret: *si dixerimus istam perseverantiam tam laudabilem, tamque felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo: illud primum evacuatur, quod ait Dominus Petro: Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quid enim ei rogavi nisi perseverantiam usque in finem? Quæ profecto si ab homine homini esset, a Deo petenda non esset. Lib. de corrept. & grat. cap. 6.*

Non abimili argumento Pelagianos exagitat Augustinus, ut ostenderet, conversionem ad fidem ex Dei gratia, & quidem efficaci pendere, *Epist. ad Vital. 217. Inaniter igitur, & persultorie potius, quam veraciter. . . . Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias voluntates. . . . Proisus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum, credimus facere, quod oramus.*

III. Quid ergo? an forte reponent eruditi Theologi, cum quibus ista lis agit, Adamum oratione non eguisse, ut diaboli tentatoris vitare insidias? ut in accepta justitia perseveraret? Id si dicant, ipsum etiam naturæ sensum exorunt. Orandi quippe lex naturalis omnino est, ad omnem idcirco naturæ statum attinens, ut supremum in nos Dei dominium agnoscamus. Num forte subjungunt, oratione eguisse Adamum, non tamen ut perseverantia donum impetraret a Deo, quod donandum non erat ab eo; sed ut gratia versatilei sibi a Deo concessa continuationem impetraret: quandoquidem ea sola, modo sibi continuaretur a Deo, ad perseverandum egebat? Verum id si dicant, nugæ loquuntur. Ut quid enim sibi eam gratiam continuari, sua jugi oratione postulasset Adamus, quam, nisi peccaret, sibi negari, subtrahive non posse certissime noverat? Si enim hæc illi vel negata, vel subtrahita fuisset, jam ille sine sua culpa cecidisset, uti discretissime ponit Augustinus *cap. 11. de corrept. & grat.*

IV. Imo usque adeo certum est, Adamum per-

severantia donum, novumque ad perseverandum sibi necessarium auxilium postulare a Deo debuisset, ut Gelasius R. P. Augustiniana doctrina approbator, & vindex, affirmare non dubitaverit, inde potissimum ortum esse Adæ peccatum, quod errore pratico, falso existimaverit, post acceptam a Deo primæ felicitatis gratiam, nihil ultra ad perseverandum, Dei ope, & adjutorio indigere; se sibi jam posse sufficere; nec ideo ad Deum oratione confugerit, ut gratiam sibi necessariam esslagitaret. Gelasii verba reddo, ex libello illius adversus Pelagianam heresim adornato: *Ille prima conditionis integritas dum ita de se fudit, tanquam ipso, qui considerat non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fuisse memoratur, nec de conservandis, que sumperat, poscit auxilium, nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessu devota concurrat, & consilio, suæque se credidit inter prospera voluntati, facile sine presidio Creatoris, parit insidias deceptoris; & in prævaricationem tracta consequenter illiciti, conditionem præstare invenit. Et Epistola 7. ad Episcopos per Picenum constitutor: Ecce sine Divino suffragio, quod in illa beatitudine positus (Adam) nunquam legitur expetivisse; non solum homini naturale bonum prodesse non potuit, non solum non efficit beatum; sed cum hoc solo confidit, atque ad ejus non revertitur largitorem, & beatitudinem potius amittit, & malorum omnium sumptis exordium. Ita Pontifex SS. idemque doctissimus. Quibus oraculis omnia discretissimis, hæc ipsam, quam impeto, eruditorum Theologorum hypothesein ab imo concussit, disjecit, prostravit. Tria quippe tanquam certissima ponit, quæ illi maxime negat. Primo, hominem innocentem, & integrum novo eguisse auxilio, ut, quæ a Deo bona susceperat, conservaret; hoc est, ut in accepta justitia perseveraret: Secundo, hominem innocentem, & integrum hoc sibi necessarium auxilium summis precibus esslagitare debuisset: quod tamen quia ille non petiit, non obtinuit: Tertio, hominem innocentem, & integrum, eo destitutum auxilio, e felici illi statu præcipitem excididit. Cum contra illi constantissime negent, Adamum novo eguisse auxilio; Adamum novum auxilium postulare a Deo debuisset; Adamum necessario sibi quoddam auxilio fuisse secreto Dei judicio destitutum. Quandoquidem satis illi fuisse putant auxilium versatile, quo nusquam est destitutus.*

Quin etiam verbis paulo ante præmissis, argumento, quod vocat a minori ad majus, probat idem Gelasius R. P. non posse jam homines ægros in statu naturæ lapsæ, sine gratia (utique speciali, & efficaci) persistere in accepta justitia; quia & ipsi Protoperantes in primæ felicitatis, & innocentie statu, sine gratia, quam precibus postulare neglexerant, incolumes stare, seu in accepta justitia perseverare nequiverunt. *Si in ipsis primis hominibus, Gelasii verba sunt laudato libello, dum sua nimium felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nusquam fuisse referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent simpliciter implorando, incolumes consistere nequiverunt; quanto magis post prævaricationis ruinam, in quam mala sui confidentia, Creatorem nullatenus inquirendo, lehaliter inciderunt, absque Divino munere suis viribus vel ægri, vel stare non possunt, sine quo nec integri persistere valuerunt: Quodnam porro auxilium illud est, quod implorare Protoperantes neglexerunt, & quo demum destituti, stare incolumes nequiverunt, nisi peculiare, & efficace? cum sufficiens, atque versatile postulare superfluum illis esset; eoque nunquam, antequam caderent, fuerint destituti. Aut quis non videat, futi-*

futile proflus, & ludicrum fore, quod a Protoperantem exemplo argumentum Gelasius petit, ut doceat, non posse jam ægros, & lapsos homines, absque peculiari Dei dono, in accepta justitia perseverare, quia sine eo nequidem integri persistere potuerunt: nisi auxilium se ipso efficace utriusque perinde necessarium intelligeret?

V. Quocirca Theologorum illorum, quos Augustinianos de more vocitant, ingenium fatismirari non possum; qui eam ab Augustino inter geminos status antithesim positam volunt, ut quæ in uno necessaria est gratia se ipsa efficace, non perinde sit in altero necessaria. Cum contra, Gelasius R. P., & Fulgentius, (de quo mihi superiorum capite sermo fuit) duo illi Augustiniana doctrina approbatores, ac vindices, geminos status in eo capite ita simul convenire, ut congruere velint, ut argumentum ex uno ad alterum, potiori jure, ac titulo petant. Sic enim illi summatim argumentantur: Fuit peculiaris, & efficace gratia sanis hominibus necessaria, ut justii, sani, & incolumes perennarent: quanto magis erit, & illa ægris nunc hominibus necessaria, ut in accepta justitia perseverent? Fuit hæc sanis hominibus suppliciter imploranda; quanto magis erit & ipsa ægris nunc hominibus, infimis precibus postulanda?

Novissimi Annotatoris ingenium miror multo magis, qui ut momentum hoc ex Orationis necessitate petium expediat, frigide pro more suo respondet: *Angelas, primosque Parentes perseverantiam petere debuisset a Deo, sed quæ suo statui congruebat; dum interim, si superis placet, eum Angelorum, primorumque Parentum statum committitur, in quo nihil omnino esset, quod ad perseverandum postulari deberet. Quid enim ultra postulari debuit, si nullum aliud divinum præsidium illis erat ad perseverandum necessarium; totumque jam positum erat in illorum nutu, & assentione voluntatis?*

Stat igitur firmum, & inconcussum, quod ex orandi necessitate momentum petii, ut efficacem gratiam Adamo ad perseverandum necessariam demonstrarem. Quippe quod a Gelasio R. P. & D. Fulgentio, inconcussi principii loco positum est, ut Semipelagianos de dono perseverantia prave sentientes debellarent.

VI. Neque est quod mihi quisquam obtrudat: Gelasium orationem Protoperantibus, ad perseverantia gratiam obtinendam necessariam afferentem, non veri nominis orationem, seu supplicationem intellexisse, quæ perseverantia donum esslagitarent; sed nudum, ac simplex perseverandi desiderium, quod illis ad perseverandum satis esset, cum orationis quoque genus desiderium sit. Eoque enim pacto glossæ illud Gelasii Pont. verba ferant; tam discrete pronunciantis, primos homines divinum munus suppliciter postulare debuisset? Et quidem si orationis nomine nudum, ac simplex perseverandi desiderium intellexisset Gelasius, quod Protoperantibus ad perseverandum satis esset; perperam proflus inde duxisset argumentum, ut perseverantia donum in statu naturæ lapsæ necessarium ostenderet, atque ita a nobis suppliciter postulandum demonstraret. Quam enim Dialecticæ leges consecutionem istam ferant, quam ejus in ore ponunt, qui hunc illi sensum affigunt? *Adamus ad perseverandum in accepta justitia satis erat, si vel hoc ipsum nude, ac simpliciter vellet, atque desideraret: igitur potiori titulo, ut nos in isto statu naturæ lapsæ repla perseveremus, necessarium est peculiare Dei donum, jugi oratione atque supplicatione postulandum. Nec enim istud fuit ex altero. Ut fileam, Gelasium semel, & iterum profiteri, Protoperantes*

Sorry Tom. VI.

pro obtinendo necessario ad perseverandum auxilio nunquam orasse. Si ergo orationis nomine nudum perseverandi desiderium intellexisset, consequens profecto esset, Protoperantes desiderium illud nusquam habuisse, atque ita ne momento quidem in justitia stetit: cum sine perseverandi in justitia desiderio, justus esse nemo possit.

VII. Sed neque meliori titulo mihi quisquam opponat: D. Augustinum *lib. 6. operis imperfecti cap. 15.* nullam in Adamo innocente orandi necessitatem agnovisse. Ex ipso quippe contextu planum est, Augustinum de orandi necessitate disputasse, ad vincendas interiores carnis tentationes, motusque concupiscentia superandos, necnon ad præteritorum delictorum veniam impetrandam: pro quibus certe eo in statu, oratione non erat opus: etsi ad justitiam contra externas tentationes diaboli retinendam, donumque perseverantia impetrandum, jugi ad Deum supplicatione esset opus. *Dominica testatur oratio, ubi non solum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, propter mala, que scimus: verum etiam, ne nos inferas in tentationem, propter hoc utique, ne mala faciamus: Unde & Apostolus dicit, Oramus autem ad Deum, ne quid faciamus mali. Quod si ita esset in potestate, quomodo fuit ante peccatum, priusquam esset humana natura vitata; non utique proficeretur orando, sed agendo potius teneretur. Verba sunt Augustini, Dominicam orationem humanæ naturæ nondum vitatæ superfluum afferentis, ut debita sibi dimitti postulet, & in carnis tentationem nequaquam induci. De cæteris orationis dominicæ partibus nihil habet.*

Quidni quoque dicamus, non eguisse quidem Adamum oratione, ut novas uberiorisque a Deo sibi dari vires exposceret, qui sanis jam, & integris viribus erat, ut pugnare contra Diabolum posset: quocirca ait illic SS. Doctor: *In hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare, quam viribus; quia & ipsas vires, quantas hic habere nos competit, ipse subministrat certantibus, quem rogamus. Etsi orandum Adamo foret, ut eam gratiam actualem haberet, quæ vires ejus sanæ & integræ operi applicarent, ac determinarentur. Quod suo loco plenius explicabimus. Cap. 22.*

VIII. Quod etiam responsum habeto, ad D. Thome dictum, *quest. 3. de malo art. 1. ad 9.* afferentis, Adamum divina gratia ad vitanda peccata non eguisse. Perस्पexum namque est, agere Doctorem Angelicum de gratia duntaxat ad superandas interiores concupiscentia tentationes necessaria; quibus nunc plus nimio ad peccandum inducimur; quæ certe Adamo non erat opus; non de gratia in universum, quæ, & ipsi ad externas saltem tentationes Diaboli superandas necessaria erat. *Dicendum, inquit, quod aliter loquendum est de homine secundum statum naturæ conditæ, & aliter secundum statum naturæ corruptæ: Quia secundum statum naturæ conditæ, homo nihil habebat impellens ad malum, licet bonum naturæ non sufficeret ad gloria consecutionem. Es ideo indigebat auxilio gratiæ ad merendum: non autem indigebat ad peccata vitandum, quia per hoc, quod naturaliter acceperat, poterat stare: (satis sibi tutus ab internarum tentationum periculis:) sed in statu naturæ corruptæ habet impellens ad malum, & ideo indiget auxilio gratiæ, ne cadat: nimirum in quæcumque peccata, in quæ per quæcumque tentationes, maxime vero interiores, inducitur.*

Certe eguisse Adamum novo divina gratia adjutorio, ne tentationi succumberet; eoque illum fuisse destitutum, dum tentationi succubuit, adeo discrete docuit Doctor Angelicus, ut nullum ea de re suboriri dubium possit. 1. part. *quest. 94.*

art. 4. ad 5. In tentatione non fuit ei subventum ne deciperetur, licet tunc maxime indigeret, quia jam precesserat peccatum in animo, & quia recursum ad divinum auxilium non habuit. Et quest. 18. de veritate art. 6. ad 13. In statu, quo peccavit, divinum ei auxilium non desisset, ne seduceretur, si ad Deum se converterisset, quod quia non fecit, in peccatum, & seductionem cecidit.

CAPUT XII.

Altera ex gratiarum actione petita ratio producitur.

Primo huic ex orationis necessitate petito momento, quod hactenus executi sumus, & contra quoscumque cavillos probe defendimus, geminum est alterum, ex gratiarum actione petendum, quod nunc tandem exequamur oportet, ad statuta conclusionis confirmationem, & probationem.

Ponamus itaque quod Theologorum illorum, quibuscumque res nobis est, systema ponit; Angelos seu stantes, seu cadentes, eadem versatili gratia fuisse donatos; sed illos eam liberi arbitrii assensu efficacem fecisse, ut starent, istos inefficacem, ut caderent; majores Deo gratias referre non deberet Angelus Sanctus, Deo jam in Patria fruens, quam Angelus malus aeternis ignibus deputatus. De perceptis quippe beneficiis gratias agimus; at nihil plus bonus, quam malus Angelus percepisset ea in hypothese: cum accepta perinde gratia versatili, utrique communi, suum ille consensum, nullius novae gratiae ope, sed ex ipso natura penam addidisset. Quo recidunt aurea illa D. Augustini verba Ep. ad Vr. 217. *Non gratias agimus Deo, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere, non putamus.*

II. Quid ad hac Theologi recentiores, quibus ab Augustino nomen est? Num forte reponent, Angelos bonos, Deoque fruentes, non quidem de nova speciali gratia, quae in illis nulla fuit, sed de hac ipsa liberi arbitrii facultate, & sanitate, quae gratiam versatilem reddere possit efficacem, gratas Deo reddere debuisse? seu, ut loquitur Annotator, de ea sua naturae bonitate, felicitate, perfectaque fortitudine, ratione cujus non indigerent ea speciali protectione, quae nunc necessaria est ad perseverandum, gratias Deo agendas illis fuisse? Bene est. At cum ea liberi arbitrii sanitas, & facultas, ea naturae bonitas, felicitas, perfectaque fortitudo, cadentibus aequae, ac stantibus Angelis communes essent, stat idem argumenti robur: majores Deo gratias rependere non debuissent stantes Angelos, quam cadentes, in ea recentium Theologorum hypothese. Sed & illud minime omittendum: idem scilicet quondam olim fuisse Pelagianorum effugium, dum ab Augustino premerentur, quod omnia Dei gratiae furriperent, ut libero arbitrio largirentur. Reponant scilicet vani homines, liberum arbitrium suis praeditum viribus, quoddam esse gratiae genus. Nec animadvertant imprudenter, quod nec satis in hacce controversia recentiores advertunt, liberum arbitrium suis praeditum viribus, naturae beneficium esse, non gratiae; eaque idcirco auctori gratiae furripit, quae in ingenitas liberi arbitrii vires refundantur.

Num forte subjiciant, ut hoc idem argumentum eludant: Sanctos Angelos, tametsi in auxiliis actualibus, ac versatilibus, Angelis cadentibus pares, majores tamen Deo gratias reddere debuissent, quod habitualem gratiam sanctificantem majorem a Deo recepissent? Sed & hoc tam falsum est, quam quod maxime. Cum enim ex omnibus Angelorum ordinibus ceciderint aliqui;

iique sanctificantem gratiam habitualem ab initio sint consecuti, secundum quantitatem donorum naturalium; adeo ut perfectioribus Angelis in natura, major sanctificationis gratia data sit: ut habet Doctor Angelicus 1. parte quest. 63. art. 9. & quest. 62. art. 6. Perfectum est, cadentium Angelorum aliquos, majorem sanctificationis gratiam, quam plerisque ex Angelis stantibus recepisse. Adeoque non haberent stantium Angelorum plurimi, ut pro accepta majori sanctificationis gratia habituali, majores Deo gratias referant, quam cadentes, qui minorem multis cadentibus acceperunt.

Iniquent fortasse nonnulli: stantes Angelos ampliores Deo gratias agere debuissent, pro concessa sibi corona gloriae, quae cadentibus perinde concessa non fuit. At si id volent unice, illud ergo concedere compelluntur, quod pia aures vix ferre possint: stantes Angelos pro beneficiis saltem in via susceptis, majores Deo gratias rependere non debere, qui nihil amplius in via, quam cadentes acceperunt; etsi pro beneficiis in patria susceptis, majores sint gratias relaturi. Imo si recte calculum pono, non essent ea in hypothese, quam impugno, Angeli beati, Deoque fruentes, majores Deo gratias, pro suscepta corona gloriae reddaturi, quam vel ipsimet Angeli inferis deputati. Pro gratuitis quippe beneficiis gratias agimus: pro gratia enim data, gratia reddi dicitur: aeterna autem gloria seu Angelis, seu etiam hominibus data, per se se gratuita non est, & ex gratia; sed ratione principii tantum, primaeque radices; quatenus per gratiam in via parta sunt merita, quibus ipsa tandem gloria in patria redditur. Nisi ergo beati Angeli majores Deo gratias relaturi sint, pro uberius gratias in via susceptis, (quod ea tamen hypothesis negat) non erunt quoque, pro suscepta tandem corona gloriae, majores gratias reddaturi. Quod quam sit ab omni pietatis sensu alienum, nemo non videt, nisi qui omnem pietatem, & religionem exerit.

III. Ais tamen mihi: cur igitur Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 11. disertissime docet, gloriam stantibus Angelis datam, eandemque primis parentibus innocentibus conferendam, mercedem meriti fore, quae nobis vice versa jam lapsis, gratia donum est? Ita quippe loquitur SS. Doctor, gloria futura erat & homini, sicut facta est Angelis sanctis, merces meriti; in his qui liberantur, factum est donum gratiae, quae merces meriti futura erat. Quorsum etiam lib. de praedest. Sanctorum cap. 15. Adami innocentis merita humana vocitat, nostra vero gratuita? Humana, inquit, hic merita conticescant, quae perierunt per Adam; hic regnet, quae regnat Dei gratia, per Jesum Christum Dominum nostrum. Annon inde consequens est, inquis, Angelorum stantium hominumque innocentium merita, ex naturae duntaxat penam, non ex peculiari efficacis gratiae dono, esse profecta? Atque ita Angelos sanctos, Deoque fruentes, nullas Deo praecadentibus peculiarias gratias referre debere; cum nullis in via peculiaribus gratiis supra cadentes donati a Deo fuerint, ut gloriam compararent.

Responsio in promptu est: Augustinum planam, absolutamque antithesim iis in locis minime posuisse: nec Angelorum hominumque innocentium gloriam, mercedem meriti stricto sensu dixisse, ut gratiam efficacem excluderet, cujus ope fuerint ea merita comparata: nec innocentium hominum merita stricto sensu humana vocitasse; quasi & ipsa gratuita quoque non fuerint, hoc est, ex gratia profecta. Sic enim omnia sus de qua miscuisset: quod de summo gratiae Doctore suspicari nefas est. Imo quemadmodum dum glori-

CAPUT XIII.

Tertia ex virtute humilitatis desumpta ratio subjicitur, & contra nonnullorum objecta defenditur.

Dicitur, probatissime insistimus, quamque ex orationis necessitate, gratiarumque referendarum obligatione, efficacem gratiam, in statu naturae innocentis necessariam ostendimus; ex virtute humilitatis, quam unicuique statui congruere liquet, in praesentia demonstramus. Istud quidem argumenti genus tetigimus obiter, dum de generalibus Augustinianae doctrinae principiis ageremus, quae statui innocentiae accommodari ex aequo possunt: attingemus nunc multo plenius, & a quibusvis cavillis, quos vim ejus eludere moliantur aliqui, quantum Deus dederit, vindicabimus. Ad rem itaque nostram accedamus.

Est illud inconcussam in re Theologica, de quo saepe diximus, axioma, quod non modo tradit Apostolus 1. ad Cor. 4. sed ex ipsis intimis religionis sensibus notum est: nihil a se ipsa creaturam habere posse, praesertim in ordine supernaturali, unde se ipsam distinguat ab alia, ac de quo possit in se ipsa, non in Domino gloriari: *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?* Augustinus tract. 85. in Joan. *Ab ipso quidquid boni est donatur. Ergo quia & hoc bonum est, ab ipso utique donatur, ut sciat, a quo bonum omne donatur: ut omnino de omnibus bonis, qui gloriatur, in Domino gloriatur.*

Quod quidem Apostoli dictum non ad Angelos tantum, hominibusque innocentes extendit Augustinus, lib. de Novo Cantico cap. 8. & lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 30. Verum etiam ad Christum Dominum; a cujus exemplo ad ceteros universos argumentum petit, *Enarrat. in Psalm. 3.* ubi exponens quod Christus ibi ad Patrem dicit, *tu es gloria mea*, ita scribit: *Gloriam suam Deum dicit ostiam ille, quem sic suscepit Dei Verbum, ut simul cum eo Deus fieret. Discant superbi, qui non libenter audiant, cum eis dicitur, quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti.* Jam, inquit ego, ponamus hic duos Angelos, quales nobis Theologorum illorum hypothese ponit, gratia versatili aequae instructos, quorum alter gratiam liberi arbitrii consensu fecerit efficacem, ut staret, alter dissensu inefficacem, ut caderet: is certe a se ipso se se distinguit ab alio, assensu scilicet suo; habebitque unde in se ipso gloriaretur praeter altero, non in Deo: cum a se ipso, ab innata scilicet arbitrii facultate habuerit, ut gratiam redderet efficacem, ut staret.

II. Reponunt Theologorum illorum aliqui, Angelum stantem, ea in hypothese, in se ipso gloriari non posse praeter alio: quia non se discrete ab alio, sine gratia saltem versatili. Verum futilis hallucinatio illa est. Quamquam enim, qui gratiam versatilem suo ipsius consensu reddidit efficacem, non se distinguit ab alio, sine gratia saltem versatili, non tamen distinguit se se ab alio per gratiam illam versatilem. Gratia enim versatilis, utpote communis bono, & malo, non distinguit bonum a malo: distinguit naturalis libertatis assensus, qui ita in bono est, ut non reperitur in malo. Rem exemplo aperiam opportuno. Demus milites duos, quos ense aequaliter muniverit Imperator exercitus: unus ingentia dexteritate ense optime usus, de hoste triumphet, alter ignavia torpens, nec ense satis uti valeas, ab hoste viacatur: *anon, amabo, qui vicit gloriari*

riari præ alio poterit, a quo se se tanta cum gloria discevit? Poterit sane: attamen hic non sine gladio se discevit, nec nisi per gladium. Quorsum ergo gloriari præ alio poterit? Quia qui non se discevit sine gladio, gladio tamen, ut ita dixerim, orisolo non se discevit, sed superaddita dexteritate, qua gladium eduxit, ac movit: quique per gladium se discevit, non per eum tamen, qualis illi datus est, se discevit; sed per gladium, uti dextere motus est. Qui enim generoso, & ignavo communis est gladius, generosum ab ignavo minime discernit, sed dexteritas ipsa, qua gladius exercus est. Id ipsum de gratia verfatili dicas, ut Theologorum illorum hallucinationem deprehendas.

Reponunt alii, ut allati jam argumenti vim effugiant: non posse hac in hypothesi, stantem Angelum in se ipso gloriari, & non in Domino; quia vim, ac robur liberi arbitrii, quo se discevit ab alio, non habuit a se ipso, sed a Domino. At nonne quæso pares a Domino liberi arbitrii vires, par sanitatis, & integritatis robur accepit & ille qui cecidit? Qui itaque stetit, gloriari præ altero poterit; sin minus quod, tantas liberi arbitrii vires habuerit, ut verfatilem gratiam reddere posset efficacem; (in eo quippe sunt pares) at fallet, quod iis viribus bene sit usus. Cum & usus ille peculiaris illius fuerit, non alterius; eumque usum habuerit a se ipso, non a Deo, seu ab eius gratia; quæ nulla in eo major, quam in altero fuit.

Nec satis advertunt qui iis utuntur technis, ac strophis, ut allati argumenti vim, ac robur elidant, ubi de statu nature innocentiæ quæstio vertitur; iisdem profus usus & Molinianos, ut suam illam verfatilem gratiam, contra Augustinianorum oppugnationes, in statu nature lapsæ defendant. Reponunt enim & ipsi: illum etiam, qui modo gratia verfatili duntaxat instructus, adhibito voluntatis assensu se se discernit ab altero, se ipsum sine gratia verfatili non discernere: habereque illum a Deo, non a se ipso res duas illas liberi arbitrii vires, quibus gratiam verfatilem assentiendo reddit efficacem. Itane, quæso, speciosus illis Molinianorum officus sibi illud Augustiniani patientur?

III. At ecce adverso inquit mihi aliquis: annon Augustinus stantes Angelos, primosque Parentes, de suis ipsorum meritis in libero arbitrio gloriari potuisse, existimavit: cum id statui nostro proprium esse dixerit, ut Sancti nunc non in suis viribus, sed in Domino gloriantur? rait igitur ab imo allata probatio, & ex humilitatis sensu petita. Augustini verba hæc sunt *lib. de corrept. & gratia cap. 12.* Placuit enim Deo, quo maxime humane superbiam præsumptionis extingueret, ut non glorietur omnis caro coram ipso, id est omnis homo. Unde autem non glorietur caro coram ipso, nisi de meritis suis? quæ quidem potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis. Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipso. Hinc est quod in hoc loco miseriarum, ubi tentatio est vita humana super terram, virtus in infirmitate perficitur: Quæ virtus, nisi ut, qui gloriatur, in Domino glorietur? Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint; sed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint, & velint, perseverandi eis & possibilitate, & voluntate Divine gratie largitate donentur.

Abicit ut Augustinum in tam absurda, & ab omni pietatis sensu aliena sententia fuisse putemus, ut creaturam aliquam, quantumlibet præcellentem existimaverit posse in se ipsa, non in Domino gloriari. Quippe qui creaturas omnium maxime præcellentes, merita sua omnia, virtutemque omnem Deo acceptam referre debere, atque ita in Deo solo gloriari oportere, disertissime docuit, *Enarrat. in Psalm. 70.* illud Regii Vatis exponens, *Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est, potentiam tuam, & iustitiam tuam, Deus, usque in altissima, quæ fecisti magna.* Quæ verba sic ille commentatur: *In altis cæli sunt, in altis Angeli sunt, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates: tibi debent quod sunt, tibi debent quod vivunt. . . . Potentiam tuam, iustitiam tuam, usquequo? Usque in altissima, quæ fecisti magna. Ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus, si deserat, qui creavit? Ergo potentiam tuam, & iustitiam tuam usque in altissima, quæ fecisti magna. Et *lib. 11. de Genesi ad litt. cap. 8.* tam de Angelis, quam de hominibus loquens: qui gloriatur, non nisi in Domino gloriatur, cum cognoscit non suum, sed illius esse, non solum ut sit, verum etiam ut non nisi ab illo bene sibi sit, a quo habet ut sit.*

Disertus multo, atque distinctus, *lib. de novo Cant. cap. 8.* Apostoli sententiam Adamo accommodat; ejusque præsumptionem quod suis animi tribuerit viribus, asperse carpit. *Cum Scriptura dicat, maledictus homo, qui spem suam ponit in homine, & qui gloriatur, in Domino gloriatur: isti (Pelagiani) contra, hoc maledictum hominem non incurere pronuntiant, si de se presumpserit, vel in se ipso gloriatus fuerit. Sed quid contra hoc multa dicamus? Hoc promissit, & pater illorum Diabolus illi primo homini: non morte, inquit, morieris: eritis sicut Dei. Deus contempsit (homo), serpenti credidit, & quod acceperat perdidit. Si tunc ille homo non fuit cæcatus, nunc homo careret vel expertus. Odit Deus presumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi; ad bonum non, nisi adjuvetur a Deo. . . . Non ergo gloriatur humana natura de se, sed in eo gloriatur, qui fecit se.*

Imo usque adeo non putavit Augustinus, potuisse Adamum de sua virtute in seipso non in Domino gloriari; ut potius primum Adæ peccatum in ea mentis elatione, superbaque propria virtutis præsumptione posuerit, *lib. 11. de Genesi ad litt. cap. 5.* *Nec arbitrandum est, quod esset hominem dejectum iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quedam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de se falso presumpsit, disceret. Verissime quippe dictum est, ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Et hujus forte hominis vox est in Psalmo, ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum. Deinde jam expertus, quid mali habeat superba præsumptio proprie potestatis, & quid boni adiutorium gratie Dei; Domine, inquit, in voluntate tua amem, & factus sum conturbatus. Quo quid apertius, quid disertius? ut intelligamus, nusquam existimasse Augustinum, stantes Angelos, primosque Parentes, de suis ipsorum meritis gloriari in libero arbitrio potuisse.*

IV. Qui ergo SS. Doctoris locus objicit ex *cap. 12. lib. de corrept. & gratia*, non id asserit quod obtenditur: status scilicet nostri id esse proprium, ac peculiare, ut Sancti nunc non in suis viribus, sed in Domino gloriantur; quasi non sit hoc idem unicuique statui commune. Sed cum

San-

Sanctos nunc de sua perseverantia in Domino, non in suis viribus gloriari dicat, nulla adjecta particula excludente; id profecto status nostri proprium esse, ac peculiare non dicit: quod tamen illi dicendum fuerat, ut quid contra nos ex hoc loco posset extundi; sed ad quemcumque humanæ nature statum perinde pertinere, pro certo ponit; ex generali scilicet nature a Deo condita conditione. Quin potius si hunc ipsum Augustini contextum cum aliis paulo ante laudatis mutuo conferamus, invicium pro tuenda, firmandaque conclusione nostra argumentum eliciemus, in hunc modum: Probat SS. Doctor, idcirco Sanctos de sua perseverantia non in suis viribus, sed in Domino gloriari, quia Deus eis non solum dat adiutorium, sine quo non possint perseverare, si velint, sed etiam adiutorium quo in eis operatur, ut velint. At contendit pariter idem ille, locis paulo ante laudatis, Angelos bonos de quibusvis tandem bonis suis gloriari in semetipsis non posse, sed in Domino tantum: igitur iisdem non solum dedit Deus adiutorium, sine quo bona illa non possent præstare si vellet, verum etiam & illud, quo in eis operaretur ut vellet: atque adeo non solum adiutorium verfatile dedit eis, verum etiam efficac a se ipso.

V. Neque obest quod Augustinus aliter ibi de Adamo statuat, quam de Sanctis, inquit: *Eis non solum dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint, sed in eis etiam operatur & velle.* Aliter enim duntaxat statuit quoad factum, de quo ambigit nemo; non itidem alter statuit quoad jus, de quo tota prærens est disputatio. Hoc est, ut antipato, ac breviter dicam, Adamo re ipsa negatum ait Augustinus auxilium quo, seu se ipso efficac ad perseverandum, quale postea datum est Sanctis, quia re ipsa non perseveraverit; at necessarium illi fore non negat Auxilium illud, ut re ipsa perseveraret. Quid itaque factum fuerit, his verbis indicat SS. Doctor, non quid iure ipso futurum esset, si perseveraturus fuisset. Quod certe altioris indaginis est, pleniusque explicabimus, dum caput illud 12. de corrept. & gratia, quo tam belle Augustiniani nonnulli luduntur, data opera commentabimur.

VI. Non morabor hic ineptum, absurdumque Anonymi Annotatoris paradoxum, de gravi supercilio pronuntians: Non posse quidam sanctos Angelos de aliquo vel minimo suo bono in se ipsis gloriari; de sua tamen perseverantia gloriari posse aliquo modo: propterea quod, inquit, perseverantia bonum aliquod speciale non sit, sed continuatio duntaxat in bono, nec melior evadit homo in iustitia perseverando, quam esset antea. Cujus principii insulsiatatem, erroremque *cap. 2. n. 5.* sat bene deteximus, ut non ultra sit opus.

CAPUT XIV.

Postrema, de fugienda præsumptione, ratio ventilatur.

I. AD hanc ratiocinationem, ex humilitatis sensu peritam, quam fusc hæcenus profecti sumus, appendicis instar accedit & ista, perinde decretoria, & efficac, atque ex Augustino non abimiliter delibata.

Præsumptionis, impietatisque genus est velle creaturam aliquam, quantumlibet præcellentem, veluti cum Deo componere; meriti partem sibi fumere, partem illi relinquere; imo, quod gravius esset, majorem, nobilioremque sibi arroga-

re, minorem Deo. Id enim nec ratio patitur, nec religio, ut passim asserit Augustinus, in *Enchir. ad Laurentium c. 32. Lib. de dono persever. capp. 6. & 13.* ac tum maxime *lib. de prædest. Sancti. cap. 2.* ubi errorem de initio fidei, ex liberi arbitrii viribus habito, refellit ex hoc ipso principio: *Si operatur Deus fidem nostram, viro modo agens in cordibus nostris, ut credamus; nunquid metuendum est, ne totum facere non possit; Et ideo homo sibi primas ejus vindicet partes, ut novissimas ab illo accipere mereatur. Volens a se ipso sibi esse quod credit, quasi componit homo cum Deo, ut partem fidei sibi vindicet, atque illi partem relinquat: & quod est elatius, primum tollit ipse, sequentem dat illi; & in eo quod dicit esse ambarum, priorem se facit, posteriorem Deum.*

Jam si stat hypothesi, quam impetimus, componit Angelus, componit innocens homo cum Deo: scilicet boni perficiendi, perseverandique in bono potestatem Deo acceptam refert, a quo gratiam verfatilem, ut bene agere, & perseverare posset, accepit; boni tamen operis actum, actualemque perseverantiam vindicat sibi; qui addito consensu gratiam se ipsa indifferenter, atque verfatilem, ut re ipsa bonum ageret, & perseveraret in bono reddidit efficacem, ingenita sibi nature virtute, non superaddita gratia facultate. Cumque melius, excellentiusque sit, re ipsa bonum agere, quam agere posse; perseverare re ipsa, quam posse duntaxat; meliorem profecto partem sibi sumit ea in hypothesi bonus Angelus, itemque homo innocens, minorem, inferioremque Deo relinquat.

II. Quidquid ad hæc, ut elabuntur, Augustiniani Theologi, cum quibus res mihi est, reposituerint, reponet & Moliniani, dum pari ab iis argumento prementur, adversus verfatilem illam gratiam, quam in statu nature lapsæ defertur. Quid enim? An forte, ut boni operis actum, actualemque perseverantiam in bono, sua in hypothesi, Deo adscribat Theologi illi, respondebunt: Angelos, primosque Parentes non nisi a Deo liberum arbitrium accepisse, quo gratiam verfatilem efficacem reddere possent? At & hoc idem, in sua ita nature lapsæ hypothesi, Moliniani reponet: liberum nimirum arbitrium, quod satis nunc virium habere putant, ut verfatilem gratiam reddere possit efficacem, a Deo perinde fuisse concessum; hæcque ipsas vires, qualescumque fingantur esse, a Deo illi fuisse relictas. An Angelis, primisque Parentibus auxilium sufficiens a Deo datum obtendunt, ut si vellet, redderent efficacem? At hoc ipsum lapsu homini datum effutiunt Moliniani.

Addiderim, utrumque responsum fore aliunde profus inutile, ut suæ Deo partes, eæque potiores, in bono opere tribuantur. Si enim satis est, (quod prima responso ponit) liberum arbitrium, ejusque nativas vires a Deo esse, ut, quod a libero prodit arbitrio, Deo etiam censeatur adscriptum; nullus jam Pelagianus erit error, qui non tuto capite defendatur. Nullum enim cuiusvis generis bonum erit opus, quod in libero arbitrio positum dici non possit, quia idcirco Deo, ejusque gratia surreptum existimetur, Futillus est longe multo quod secunda responso ponit. Quamquam enim auxilium sufficiens, seu verfatile donaverit Deus, non idcirco boni operis actus, si quis elicitus est, adscribendus est illi; sed sola ut summe agendi potestas: Cum eam duntaxat potestatem tribuerit auxilium illud, non ipsum boni operis actum. Oculata itaque undecumque sunt quæsitæ suffugia, ut ineluctabilis argumenti vis eludatur.

III. Expeditiorem elabendi viam aperire sibi visus

vifus est Anonymus Annotator, quaestio misera distinctiuncula, qua Augustini principium, unde tam certae consecutiones libere fluunt, enervaret: (Creatur a nulla quantulumlibet praecellens, cum Deo componere potest; partemque meriti sibi sumere, partem illi relinquere.) Ait ergo, non posse quidem compositionem creaturae cum Deo a Semipelagianis inducendam admitti, qua primas fidei partes sibi vindicabant, posteriores Deo relinquerent; posse tamen admitti alteram, qua necessario, ut ait, reperiri debet, inter causam primam, & secundam, nisi hominis arbitrium mere passive se habere statuatur: huiusque generis ait esse compositionem illam, qua Angeli, primique Parentes cum Deo componebant; ut perseverandi potentiam Deo darent, actualem sibi perseverantiam adjudicarent.

Quis horrendum, ac portentosum paradoxum non illico deprehendat? Si sic est, si inquam, secundi huius generis compositio creaturam inter & Deum admitti potest, ac etiam debet, ne hominis arbitrium mere passive se habere censetur; profecto in statu quoque naturae lapsae debet admitti; cum & illic liberum Arbitrium non mere passive se habeat. Atque adeo quo jure colligit Annotator, ita potuisse Angelos, primosque Parentes cum Deo componere, ut perseverandi potentiam Deo darent, sibi vero perseverandi actum adscriberent: ita quoque homines iusti in statu naturae lapsae perseverantes, cum Deo ita componere poterunt, ut perseverandi potentiam Deo donent, sibi vero perseverantiam actualem adjudicent. Sicque non erit in statu naturae lapsae perseverantia inextimabile Dei donum, ne hominis arbitrium mere passive se habere censetur.

Addo, compositionem creaturae cum Deo a Semipelagianis inducendam, qua nimirum sibi initium fidei adscribebant, perfectionem Deo, minoris fuisse praesumptionis, atque superbiae, quam quae ab Anonymo cavillatore inducitur modo, atque justificatur; qua videlicet actualis perseverantia adscribitur Angelo, & Adamo, perseverandi potentia datur Deo. Quandoquidem facta honorum, quae in utroque systemate libero arbitrio tribuuntur, aequa collatione; nemo non videt, excellentius esse bonum perseverantiam actualem, quam quaecumque initium fidei. Si ergo nec ratio patitur, nec religio, ut inducenda a Semipelagianis compositio admittatur; qui, quaeso, compositionem alteram a nupero Cavillatore somniam feremus, unde multo magis Creaturae praesumptio inflaretur, & intumesceret?

IV. Certe vitandam Adamo fuisse praesumptionem omnem, docet apertissime Augustinus; spemque omnem firmitudinis suae in Dei adiutorio reponendam, in cuius erat potestate, ut neque Angelus caderet, neque homo. Disertiora sunt Augustini verba, quam ut silentio mitti possint, lib. 14. de Civitate Dei cap. 27. Sic erat institutus (Adamus) ut si de adiutorio Dei fideret bonus homo, malum Angelum vinceret; si autem Creatorem, atque adiutorem Deum superbe sibi placendo desereret, vinceretur: meritum bonum habens in adjuva Divinitus voluntate recta, malum vero in deserente Deum voluntate perversa. Quia & ipsum confidere de adiutorio Dei, non quidem posset sine adiutorio Dei: nec tamen ideo ad bis Divina gratia beneficiis sibi placendo recedere, non habebat in potestate. . . . Deus ipse quid interesset inter propriam cuiusque praesumptionem, & suam tuitionem, angelica, & humane rationali creaturae, consequens experientia demonstraret. Quis enim audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse? Sed hoc eorum potestati ma-

luit non auferre; atque ita & quantum mali eorum superbia, & quantum boni sua gratia valeret, ostendere. Ex peculiari itaque adiutorio Dei tota Adami firmitudo pendebat, ut tentatorem Diabolum vinceret, & in accepta iustitia perseveraret: spemque suam omnem in Dei gratia reponere tenebatur; non in libero voluntatis arbitrio, gratiae indifferenteriam, & versatilitatem determinato.

V. Nec effugient eruditi Theologi si forte dixerint, pendisse quidem Adami firmitudinem ex adiutorio Dei sine quo non; seu ut schola recens loquitur, sufficienti; non itidem ex adiutorio quo, ac per se efficaci; atque ita Adamum in illo tantum adiutorio, non in isto spem reponere debuisset. Non effugient inquam: quia ab utroque Dei adiutorio, ac tum maxime ab efficaci, Adami firmitudinem pendisse, & in eo spem suam omnem atque fiduciam reponere debuisset, significat Augustinus; dum fiduciam in Dei adiutorio, & tuitione habendam, rationem hanc ipsam assignat; quia in Dei potestate erat, ut neque Angelus, neque homo caderet. Per adiutorium siquidem sine quo non, seu sufficientem, non praestat Deus, ut nec Angelus, nec homo cadat, sed per adiutorium efficacem; per adiutorium inquam actionis, non mere possibilitatis. Imo nec, id ipsum sperare potuisset Adamus; nec Divina omnipotentia, ut ne caderet, potuisset inniti, si penes Theologos illius fides est: cum id illius statui repugnare vellet. Equis enim aliquo in statu constitutus a Deo, id sperare teneatur, quod statui suo noverit repugnare? Repugnat autem, ajunt illi, ut Deus eo in statu omnipotentia sua praestet, ut ne cadat homo, vel Angelus, qui potius illud ipsum in eorum reliquit voluntatis arbitrio.

CAPUT XV.

Nova ex natura gratiae efficacis ratio petitur, praesertim adversus eos, qui eam in delectatione victrici potestati volunt.

I. Quae primo omnium loco dari potuit, ac etiam debuit, quaeque pene nos fugerat, ex natura gratiae efficacis petita Theologica ratio, in hunc sane modum offerri potest.

Nihil magis in ore habent quotquot Augustini nomine gloriantur Theologi, quam gratiam, se ipsa efficacem in caelesti quadam suavitate, & victrici delectatione positam esse: seu id in sensu formali, ut Schola loquitur, intelligi velint, ut videlicet gratia efficax delectatio ipsa sit, atque suavitas; seu in sensu causali id accipi malint, quod & ego verisimiliter existimo, ut gratia potius efficax huius delectationis, & suavitatis causa sit. Hoc enim ultimum inculcat ubique passim SS. Doctor, lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 30. Condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei. Lib. de spiritu, & lit. cap. 3. Nos autem dicimus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam iustitiam. . . . ut accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectioque summi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus est. Et cap. 16. ejusdem libri: Hic autem spiritus Dei, cuius dono iustificamur, quo fit in nobis, ut non peccare delectet. Lib. 2. de peccator. meritis, & remissionibus cap. 19. Ut condelaeteris legi Dei secundum interiorem hominem, unde haberes, nisi spiritus vitae liberet te a lege peccati, & mortis? Cum ipsa delectatio boni non nisi gratiae deputanda sit. Lib. 1. ab Bonif. cap. 20. Venit gratia Dei, ut delectet te iustitia. Enarrat. in Psalm. 130. Gustemus

quam suavis est Dominus, qui dedit nobis pignus spiritus, in quo sentiamus ejus dulcedinem. Quae omnia spiritualem delectationem, ac suavitatem, gratiae efficacis effectum esse, plus satis ostendunt.

Pari omnino constantia Augustiniani Professores, caelestem illam suavitatem, victricemque delectationem, quae vel ipsamet gratia efficax est, vel ab ipsa efficaci gratia nascitur, ob id maxime necessariam esse, tum ad pietatis actus exendendos, tum ad graves tentationes superandas; quia ea trahitur humanus animus suavitatem, hacque ipsa delectatione iustitiae, contraria, quae in peccato est delectatio, infallibiliter superatur, ac vincitur: quia, ut loquitur Augustinus in Expositione cap. 5. Epistole ad Galatas: secundum id operemur necesse est, quod amplius nos delectat. . . . trahiturque humanus animus voluptate.

Gratulor Viris summis, efficacis gratiae naturam sic exponentibus, ejusdemque necessitatem tam invicte probantibus: maxime cum postremum illud ex Augustino petitur momentum, naturae principium sit, ipsis etiam Philosophis non ignotum, imo summa ab ipsis confessione receptum. Verum, in quo ego, ex Augustini sententia, in Adamo prima illa tentatione pulsato, terrena quadam delectatio fuit, quae ad peccatum impellebatur: Perversitatis persuasor, ait ille lib. 2. de Gen. contra Manich. per mulierem decipit. Non enim deduci ad confessionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit, in ea parte animi, quae debet obtinere tanquam rectori viro. Et serm. olim 101. de tempore: Adam unius se arboris delectatione vendiderat. Fuit igitur haec ipsa delectatio prava; contraria efficacis gratiae delectatione, superanda, atque vincenda. Fuit inquam in Adamo prima illa tentatione pulsato, non carnalis quidem luxuria delectatio; cum haec consecuta sit peccato, quo tentationi consentit; sed delectatio quadam fuit, sive complacentia, qua factum est, ut mulieri suadenti consentiret. Imo fuit in eo quadam terrena delectatio in se ipso qui terrenus erat, hoc ipso quod praesuperbia sibi nimum complacendo, Divinum praecipuum violavit, & cecidit, juxta celebre Augustini dictum lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 5. Nos arbitrandum est, quod esset hominem delectatus iste tentator, nisi praecessisset in anima hominis quadam elatio comprimenda, ut per humilitationem peccati, quam de se falso praesumpserat, disceret. Illa igitur delectationes alia delectatione caelesti, atque victrici superandae erant. Atque ita si recte juxta Augustinum evincitur, necessariam nobis esse gratiam se ipsa efficacem, propterea quod delectatio terrena caelesti delectatione vincenda sit, ut ipsi quidem faterentur, ac probant: quidam quoque juxta eundem Patrem SS. colligamus, necessariam Adamo fuisse gratiam pariter efficacem, ut & ipsae delectationem terrenam alia caelesti tentatione superaret?

II. Neque vero fingi potest, victricem illam delectationem idcirco in Adamo non fuisse, quod haec felici illius statui repugnaret. Absit. Non enim repugnabat illa, quae delectatio erat; cum eo potius titulo statui illo felicissimo congrueret longe maxime: non repugnabat itidem quia victrix erat; quia titillantem in eo superbiae, uxorisque complacentiam poterat, ac etiam debuerat superare: si potius Augustiniana Scholae principis stare volumus, ut debemus.

Jam quod de primo homine diximus haecenus, pari prorsus ratione de Angelis concludendum est. Quandoquidem & ipsi, non secus ac primus homo, nimia propriae excellentiae delectatione pe-

carunt, judice Augustino, lib. 11. de Gen. ad lit. contra Manich. cap. 14. Propria potestate delectati . . . suamque excellentiam nimis amant. Quod etiam confirmat cap. 23. iniquis, factus (Angelus) continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus, & propriae potestatis delectatione corruptus. Cum itaque Angeli victores ad Deum summum bonum converti, eidemque firmiter adherere nequiverint, nisi superata propriae excellentiae complacentia, compressaque mentis de se nimis alte sententis elatione: quod utique non nisi contraria caelesti suavitatem, atque victricem delectationem iustitiae fieri potuit: (contrarium enim non nisi contrario pellitur, & delectatio peccati non nisi iustitiae delectatione vincitur, ut loquitur Augustinus lib. 2. oper. imp.) quis non videat, fuisse etiam Angelos illos gratia se ipsa efficaci donatos, si in hac ipsa caelesti suavitatem, victricemque delectationem gratia se ipsa efficax sita est? quod illi maxime voluit, contra quos nostra ista suscepta est disputatio.

III. Nec est quod mihi quisquam opponat, valere ut summe hoc argumentum, dum in Augustinianos ad hominem disputatur; qui gratiam se ipsa efficacem, in ea de qua diximus, caelesti suavitatem & victrici delectatione positam volunt: nihil tamen absolute valere, praesertim in Schola Thomistica, quae gratiam efficacem in ea caelesti suavitatem positam negat. Nihil quippe tantilla illa Augustinianos inter atque Thomistas dissentio, roboris, & efficacis admittit Argumento inde petito. Quamquam enim efficacis gratiae naturam seu essentiam, in ea victrici delectatione positam nolint Thomistae nostrates, sed in physica potius motione, ac determinatione voluntatis, vitalique, ut plerique loquuntur, qualitate sitam existimant: hanc ipsam tamen victricem delectationem, caelestemque suavitatem, indivisum gratiae efficacis effectum agnoscunt; quo terrena, atque carnalis delectatio superatur, ac vincitur. Eamque Divi Augustini, ac Divi Thomae, quos doctrinae suae duces sequi ambiunt, mentem esse, atque sententiam opinantur. Ita Reginaldus par. 2. de Mentis Conc. Trident. circa gratiam se ipsa efficacem Cap. 30. D. Augustinus gratiam illam ex seipsa efficacem, in suavitatem caelesti, ac victrici delectatione, sive potius in causa ipsius suavitatis, & delectationis constituit. Quamvis enim hanc gratiam saepius vocet suavitatem, delectationem, nihilominus hoc intelligit casualiter; sicut saepe causa a suo effectu notiori denominatur, & definitur. Quod sufficiens exequit Massoulieus, in D. Thomae sui ipsius interprete, Tom. 1. Dissert. 2. de libertate creata quest. 6. art. 2. ubi multis demonstrat, frequentissimam Divi Augustini, de victrici delectatione sententiam, & communem loquendi modum, cum superioris Divi Thomae Theologiae principii exactissime, & ad amissum convenire. Ut porro ex ea victrici delectatione momentum peti jure possit, quod in praesenti delibavimus, nihil omnino refert, seu illam efficacis gratiae essentiam dicas, seu indivisum illius effectum dicere malis: dummodo terrenam, atque carnalem cupiditatem, caelesti illa suavitatem superari fatearis.

CAPUT XVI.

Celeberrime de Divinis auxiliis Congregationis judicium, de agitata haecenus controversia, recitatur.

I. Dispendium operae faciam, si tot allatis haecenus probationibus non illam etiam in confirmationem addidero, quae ex celeberrima de Divinis auxiliis Congregatione, sub Romani Pontificis

Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. celebrata, peti potest: In qua universa doctrinae capita, in controversiam per annos multos adducta, & ad Cenforum examen vocata, ad mentem Divi Augustini, tamquam ad lydiu lapidem, probari iusserat Clemens VIII. Pontifex uti sanctissimus, ita doctissimus, a quo primum fuerat instituta, ad controversias Molinianae doctrinae occasione excitatas supremo iudicio definiendas: tamen si decretis illis, statutisque censuris suprema manus nondum accesserit, nec supremæ Sedis oraculum.

In hac itaque Congregatione omnium celeberrima, conspirantibus Consultorum omnium ordinum votis, Thomisticae Scholæ positio, de gratia primi hominis, & Angelorum, asserta, probataque est, tanquam certa, indubitataque D. Augustini sententia. Cum enim anno 1605. die 22. Novembris, coram Paulo V. R. P. de mente D. Augustini circa gratiam per se efficacem ageretur; probandumque sibi fumpisset Molinianus Orator, Thomisticae Scholæ principium, quo gratiam per se efficacem superstruit, (servandam scilicet causam secundarum subordinationem a prima) longe ab Augustini mente, atque sententia distare: totamque probationis suæ vim ex lib. de corrept. & grat. petiisset; quasi illic docuisset SS. Doctor, Adamum, Angelosque nulla ad bene agendum, perseverandumque efficaci gratia eguisse; atque ita eam causam secundarum subordinationem nihili fecisset; (quæ nunc familiaris est nonnullorum Augustinianorum adversus Thomistam argumentatio, trita querela, cantio ad ravim usque decantata) die demum 29. mensis ejusdem, disputatione illa in consultationem adhibita, & Moliniani Oratoris argumentatione ad Cenforum calculos revocata, sanxit sacra Congregatio, (tamen si necdum ex juris formulis iudicium fuerit promulgatum) standum in dogmate de gratia per se efficaci; tanquam abesse, ut testimoniis D. Augustini ex cap. 11. & 12. de corrept. & grat. delibatis impeti possit, ut potius ex illis ipsis, si recte intelligantur, firmetur magis. Oratoris Moliniani disputationem, quantum ad nostrum institutum attinet, oculis subijcio, ex lib. 4. Historie Congregationem de auxiliis cap. 12. Ex ipso Augustini contextu (de corrept. & grat. cap. 11. & 12.) evidens est, Augustinum hoc loco sensisse, Adamum, & Angelos non indiguisse, ut perseverarent, alio adjutorio Dei, præter illud quod habuerunt. Habuit enim primus homo gratiam, ut ibi Augustinus ait, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset. Tale quippe erat adjutorium . . . in quo permaneret, si vellet. Nullo ergo alio adjutorio indigebat ad perseverandum. Nam ut vellet, in libero ejus reliquit arbitrio. Deus quippe fortissimo Adamo dimisit, atque permisit facere quod vellet. Ergo cum hoc auxilio sine alio prædeterminante, Adam perseverasset si voluisset, juxta doctrinam Augustini. Imo si aliud auxilium illis fuisset necessarium, jam non sua culpa cecidissent. Denique Augustinus affirmat, deseruisse Adam per liberum arbitrium adjutorium illud, quod si non deseruisset, semper fuisset bonus, & quia adjutorium deseruit, deseruit fuisse. Ergo idemmet adjutorium, quod toto tempore præcedente habuerat, deseruit. Ergo adjutorium illud non erat physice prædeterminans, alias deseri non potuisset ab Adamo; Sed oportet, ut prius a Deo dereretur, per negationem talis adjutorii. Præterea nec Deus in Angelis, & homine ostendisset prius quid posset arbitrium, & postea quid posset gratiæ beneficium, ut Augustinus cap. 10. affirmat.

sed potius ostendisset prius quid posset gratia, postea quid posset arbitrium. Nam per gratiam physice prædeterminantem conservasset Deus Adam toto tempore usque ad peccatum, in quo ostendisset quid posset gratia; postea vero cum relinquendo, per ablationem gratiæ physice prædeterminantis, ostendisset quid posset arbitrium. Tandem de Angelis ipsis docet Augustinus, stetit eo auxilio, quod datum eis fuit, ut si vellet, starent: cui etiam comparavit auxilium datum Adæ: ergo etiam Adam eo auxilio stetit, si voluisset. Est igitur in via Augustini evidens, Adamum sine auxilio physice prædeterminante permanisse in gratia, toto tempore, quo duravit innocentie status, multaque opera bona sine auxilio prædeterminante fecisse; & illo adjutorio, quod habebat, perseveraturum fuisse, si voluisset de Deo fide re, ut in lib. 13. de Civitate Dei cap. 17. Augustinus affirmat. Id quod illo adjutorio, quod de facto habuit, facere poterat, absque ullo alio superaddito. Igitur cum tam ad hominem, ut ajunt, quam ex ipsis Augustini verbis constet, non potuisse Augustinum auxilium physice prædeterminans in Angelis, nec in primo homine; quis tam hebes erit ingenio, ut statim non videat evidentem ex hoc consequi, non sensisse Augustinum, auxilium physice prædeterminans esse necessarium, ex dependentia causæ secundæ a primâ, vel ex medio infallibilis cognitionis liberorum? Corruit ergo ex doctrina Augustini præcipuum physice prædeterminationis fundamentum, & ita hoc argumento penitus evertitur, ut penes superfluum videri posset, aliquid amplius addere.

Hæc Molinianus disputator, quæ totidem, diverso licet sine, atque consilio, nobis objiciunt Theologi recentiores, ut suum illud systema, de gratia primi hominis, & Angelorum, Augustini auctoritate communiunt. Consultorum vero de tota illa disputatione iudicium, in publicas Congregationis tabulas his verbis relatum est; tamen nondum illi ex juris formulis ultima manus accesserit, ut Ecclesiastici iudicii vim, acrobatur obtineat.

Die 29. Novembris 1605. post horam 15. resolvit Congregatio, persistendum in sententia, non obstantibus ex adverso productis ex Scripturis, quæ ad rem non spectant, & ex Concilio Tridentino, quod non adferatur veritati assertæ, aut testimoniis S. Augustini de corrept. & grat. cap. 12. quo potius firmatur conclusio explicata, quod Deus &c. Ita censuerunt omnes exceptis D. Bitontino, qui cum cæteris censuit, quoad rem, non tamen quoad voces, quas dixit novas, & periculosas: & Patre Regente Collegii Carmelitarum, qui censuit omnes Scripturas, & dicta S. Augustini optime intelligi ex assertione gratiæ congruæ; & ex vera, & reali motione antecedente, qualem ponit contraria sententia, tolli libertatem voluntatis humanæ.

II. Quæ ego mente dum recolo, doleo rerum vices: cum videam, illos ipsos Commilitones nostros, studio, ardore, & animo conjunctissimos, qui pro tuenda efficaci gratia, adversus Molinianos, una nobiscum, tanta cum gloria & certantur olim, & certant etiamnum hodie, in nos tela emittere, quæ a communibus hostibus mutuo acceperunt. Quapropter ut & ego vice mea, ac certiori ictu, sua in illos tela retorqueam, antequam difficultati ex lib. de corrept. & grat. peti solita satisfaciam; hoc idem Thomi-

misticæ Scholæ principium, quo gratia per se efficacis necessitatem petendam existimat, non ex sola humanæ naturæ originali peccato fauciatur corruptione, sed ex ipsa etiam causam secundarum subordinatione, & subiectione, (quod in hæc controversia capitale est) esse certissimum, atque ex D. Augustini mente, atque sententia, sequentibus capitibus demonstrabo.

CAPUT XVII.

Potissimum adverte sententiæ fundamentum evertitur. Augustinum efficacis gratiæ necessitatem, non ex sola naturæ corruptione petiisse, demonstratur.

I. Tamen nihil eorum prætermiserim, quibus gratia se ipsa efficacis necessitas, in statu naturæ innocentis, & integræ, demonstratur: officio tamen meo defuisse videri possim, si potissimum illud, ac etiam unicum, quo adversa sententia nititur, fundamentum intactum relinquere, ac non potius ab imo subruerem. In hoc igitur insudandum mihi modo est, ut palam omnibus faciam, quam sit falsam, quam ab Augustini mente, atque sententia alienam, quod principii loco ad adversariis ponitur: efficacis scilicet gratiæ necessitatem ex sola vulnerata, corruptaque naturæ conditione oboriri; nullo autem pacto ex nativæ creatæ voluntatis indifferentia, seipsumque ad Deum optimum maximum subiectione derivari; in iis etiam pietatis operibus exerendis, quæ supra naturæ vires, & ingenitas facultates posita sunt. Ex eo quippe vitiatum principio colligit adversarij, nullam esse in statu innocentie efficacis gratiæ necessitatem, quod nulla ibi sit naturæ depravatio, corruptio nulla. Attentum hic lectorem opto, ut quam procul ab Augustino, quam procul a vero abeat, in eo constitutum principio, deprehendat.

II. Certe tamen Augustinus confutandis Pelagianis totus intentus, ad humanæ naturæ corruptionem confugere solet, ut viticis gratiæ necessitatem ostendat; ejus tamen necessitatem ex alio etiam capite repetit aliquando, ac tum maxime, dum Divinas motiones, se ipsis efficacissimas, ad actus mere civiles, ac naturales agnoscat; in quibus profecto exerendis, cum nulla sit sananda naturæ corruptio, sola remanet hominis ad supremum motorem servanda subiectione, determinandaque passiva voluntatis subiectione, ut id agat, quod per eam Deus agi voluerit. Videas id lib. de corrept. & grat. cap. 14. ubi de electione Saulis in Regem, quæ rerum mere civilium, ac naturalium ordine censenda est, sermo inest. Non est inique dubitandum, inquit, voluntati Dei, qui in celo, & in terra quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult. Quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Nisi forte (ut ex multis aliquæ commemorem,) quando Deus voluit Sauli Regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum, subdere se memorato viro, si non subderet, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valeret resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret inclinandum omnipotentissimam potestatem. Et paucis interjectis, de electione Davidis in Regem, quæ perinde civilis vitæ actus est, sermonem habens: Omnipotens Dominus, inquit, qui erat cum illo, adduxit istos, ut eum Regem constituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas; quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut celesti constituatur in Regno? Videas hoc idem de Rege Assuro dum loquitur, ab indignatione in Judæos ad mansuetudinem converso; qui perinde civilis virtutis actus exitit. Lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 20. Deus oculissimus, & efficacissima potestate (cor Regis) convertit, & transulit ab indignatione ad lenitatem; hoc est a voluntate ledendi ad voluntatem savendi: secundum illud Apostoli: Deus operatur in vobis & velle.

Cedo sicuti Augustinus intimam medicinalis gratiæ virtutem, & efficaciam in fledendis, movendisque ad actus supernaturales hominum cordibus, majori sermonis nervo, amplioribusque verbis expressit. Aut ergo negandum, Augustinum intimam gratiæ medicinalis efficaciam, cujus necessitas ex vitiatæ naturæ conditione oritur, alicubi prædicasse: aut certe fatendum, agnovisse illum divinas motiones, se ipsis pariter efficaces, ad actus mere civiles, & naturales edendos; quarum profecto necessitas, non ex vitiatæ naturæ conditione oritur, sed ex sola ad supremum motorem subiectione servanda, originem ducit. Et quidem Augustinum binis illis utriusque electionis exemplis, alteroque Regis Assuri ad lenitatem conversi, nullam corruptionis naturæ rationem habuisse, ut hujusmodi motionum efficacissimarum necessitatem evinceret; non modo res ipsa, de qua agitur, civilis nimirum, ac naturalis factis ostendit; sed & ipse illa loquendi formulæ palam faciunt, quæ nil nisi supremum Dei in hominum voluntates imperium sonant, nil nisi mutuum voluntatum ad Deum subiectionem loquuntur, ac spirant.

Quid etiam quod Augustinus pari motionis efficacitatis, & energiam, Deum operari docet in corde correpti correctionem salutarem, quæ in cordibus Israelitarum Saulis, & Davidis electionem est operatus: imo, quod notandum magis, necessaria consecutione, veluti argumento quod ajunt a minori ad majus, alterum deducit ex altero: Si ergo, inquit ille, cum voluerit Deus in terra constituere Reges, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas; quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in corde correpti correctio, ut celesti constituatur in Regno? Quotquot ergo Deum motione, atque virtute se ipsa efficaci, salutarem peccatoris correctionem, ac poenitentiam operari ultro citroque fatentur; id quoque fateantur oportet, Deum ex Augustini mente, efficaci per se se motione, atque virtute, Israelitarum corda ad actus illos mere civiles, ac naturales permovisse, eosque in illis actus efficacissime operatum esse. Alias perperam alterum ex altero intulisset SS. Doctor. Quam tamen illationem a se legitime factam defendit ipse data opera, atque ex instituto, dum suum illum liberum postmodum recognovit, & contra nonnullos obumbratores egregie defendit. Cum enim a D. Hilario per Epistolam monitus esset, putare Massilienses, testimonia Scripturæ, quæ de Saul, & de Davide posuerat, non pertinere ad questionem, quæ de correctione versabatur: argumentationem suam, elicitamque ex binis illis exemplis illationem nervose defendit, dato responso: atque ab actibus mere civilibus, quos efficacissima potestate in cordibus Israelitarum operatus est Deus, ad actus supernaturales, & vitæ æternæ meritorios, quos pari efficacitate in electis operari de-

beat idem Deus, recte se, atque a fortiore ut aiunt fuisse argumentatum evincit, lib. de predest. Sanct. cap. 20. An forte quia ostendimus, hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse, quorum ei placuit, voluntates, ut Rex constitueretur Saul, sive David; ideo haec exempla causae huic convenire non putans, quoniam non est hoc temporaliter regnare in hoc saeculo, quod est in aeternum regnare cum Deo? Ac per hoc existimant, ad regna terrena faciendae, Deum inclinare; ad regnum vero caeleste obtinendum, Deum non inclinare, quorum voluerit, voluntates? . . . Cogitate quale sit, ut credamus ad constituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum; & ad capessendum regnum caelorum homines operari voluntates suas. Multa diximus, & fortasse jamdudum potius persuadere, quae volumus, & adhuc tam bonis ingenis sic loquimur quasi obtusi, quibus & quod nimium est non est satis.

Quibus verbis non modo id evincitur, quod potissimum quaerebatur: sed & insuper nonnullorum evasio pracluditur, qui dicere audeant, ideo Augustinum motiones Dei per se efficaces in binis illis Saulis, atque Davidis electionibus agnovisse; quod eas non spectaverit, ut actus erant mere naturales, civiles, atque politici; sed quatenus ad finem supernaturalem aliquatenus referebantur. Ex verbis quippe laudatis liquet, Augustinum eas electiones, ut actus mere civiles, ac politici sunt, attendisse, quatenus scilicet ad temporaliter regnandum in hoc saeculo conducebant: Eumque ex iis ipsis ut mere politicis, & civilibus, ad actus supernaturales non nisi efficaci Dei virtute eliciendos, argumentum a fortiore petisse. Ut sileam, actus illos, tamen ad finem supernaturalem a Deo externe, & ex accidenti referrentur, per se tamen, atque ut ab Israelitis eliciebantur, civiles tantum, ac naturales extitisse. Atque ita si a Deo efficaciter movente, & operante sunt editi, ut profecto docuit Augustinus; consequens est, eum ad actus mere naturales edendos, motiones Dei se ipsis efficacissimas agnovisse.

III. Accedit ad haec, quod Augustinus, qui gratiam habere efficacitatem suam constantissime docet ab omnipotentia Dei, & a dominio, quod sua divina majestas habet in hominum voluntates, uti Clemens VIII. elegantissimo scripto demonstravit, probavitque sacra de divinis auxiliis Congregatio: Augustinus, inquam, illud quoque sapientissime docet, Deum suam illam in hominum voluntates omnipotentiam exercere, non solum titulo Medici, voluntatis infirmitatem sanantis, curantis, & erigentis, verum etiam jure supremi domini, quo creaturis omnibus in caelo, & in terra dominatur, subjectas tenet eas, suoque nutui servire facit. Quid itaque efficacis gratiae necessitatem, ex sola humanae naturae corruptione, ac non etiam ex creaturae ad Deum Opt. Max. subiectione pensamus? Non pauca in hanc rem SS. Doctoris testimonia laudavimus ex lib. de grat. Christi cap. 14. ex lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 21. ex lib. de novo Testamento cap. 9. de corrupt. & grat. cap. 14. Alia pauca damus ex lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 20. Scriptura divina, si diligenter inspicitur, ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & a se factas bonas in actus bonos, & in aeternam dirigit vitam, verum etiam illas, quae conservant saeculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari. Enarrat. in Psalm. 134. Tu in ipso non facis quod vis: Deus autem noverit in caelo, & in terra omnia quaecumque voluit fecit. Ipse tibi det gratiam ut in te ipso facias quod vis: nisi enim ipso juvante, nec in te facis quod vis. Et paucis interjectis: Intelligite Deum, qui omnia quaecumque voluit fecit in caelo, & in

terra; ipse & in vobis faciet quod vultis; ipso adjuvante voluntatem vestram implebitis. Rufus: Ergo & in Ecclesia sua, & in predicatoribus suis, & in plebibus suis tamquam in caelo, & in terra, omnia quaecumque voluit fecit. Parum est in eis; In mari, & in omnibus abyssis omnia quaecumque voluit fecit. Mare sunt omnes infideles, omnes nondum credentes; & in eis omnia quaecumque voluit fecit. lib. de corrupt. & grat. cap. 14. Cui (Deo) volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle, seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. lib. de dono persever. cap. 13. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur, & operari pro bona voluntate. Haec nobis expedit credere, & dicere: Hoc est pium, hoc est verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo. Haec D. Augustinus, & alia alibi hujusmodi longe multa, quae plus fatis evincunt, Deum in efficaci gratia conferenda, agere pro imperio, pro despotica potestate, pro supremi domini jure, quod in creaturas etiam rationis expertes exercet. Atque ita toto illi aberranti ostio, qui gratiae efficacitatem ex sola pensant vitiatate naturae corruptione, nullo autem pacto ex creaturae ad supremum omnium Dominum, subordinatione, subiectione, atque, ut Schola loquitur, dependentia. Sunt enim vero duo illa inter se relata; serique omnino non potest, ut quod Deus titulo supremi domini, jureque principatus creaturae suae largitur, id ipsum subiectionis, ac subordinationis titulo non recipiat creatura.

IV. Quid plura? Si qua gratia ex Augustini mente reputanda est efficax, illa maxime est, qua Deus bonum liberam voluntatis usum operatur in nobis. Divinae enim omnipotentiae effectus est, de quo SS. Doctor lib. de grat. & libero arbitrio cap. 21. Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit. Imo repugnat, Deum per gratiam mere sufficientem operari motum, seu usum voluntatis humanae: cum hunc ipsum usum, & motum gratia sufficientis expectet potius, quam efficiat; pendenteque ab eo verius, quam eum agat in nobis. Porro quaerens Augustinus quid causae sit, cur Deus bonum liberam voluntatis usum operetur in nobis, hanc demum assignat, quod Deus universalissima causa sit, a qua, uti ex primo fonte, omne bonum necesse est derivari, lib. 1. retract. cap. 9. Cum omnia bona dicentur ex Deo, id est magna, & media, & minima; in mediis quidem bonis invenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & male illo uti possumus; sed tamen tale est, ut sine illo recte vivere nequeamus. Bonus autem usus ejus jam virtus est, quae in magnis reperitur bonis, quibus male uti nullus potest. Et quia omnia bona, sicut dictum est, & magna, & media, & minima ex Deo sunt; sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberam voluntatis, quae virtus est, & in magnis numeratur bonis. Et Tract. 85. in Joan. Ad ipso quidquid boni est donatur: quia & hoc bonum est; ab ipso unice donatur, ut sciatur a quo bonum omne datur; ut omnino de omnibus bonis, qui gloriatur, in Domino gloriatur. Ex subordinatione itaque Causarum secundarum a prima, non minus quam ex vitiatate naturae corruptione, petenda venit efficacis gratiae necessitas; ac tum maxime ad actus supernaturales edendos, in quibus a Deo non modo ut auctore naturae, verum etiam ut auctore gratiae pendet homo; eidemque novo titulo subest, a corruptione naturae longe diverso, ob edendi scilicet operis excellentiam, juxta illud Jacobi I. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, & in

desursum est; descendens a Patre luminum. Et hoc alterum Augustini sermo nunc 284. Ut habeam donum meum, agnosco datorem Deum. Nam si non agnosco datorem Deum, tollit Deus bonum suum, & remanet malum meum, per arbitrium meum.

V. His addiderim: Deum, ex Augustini mente, atque sententia omnium motuum, actionumque nostrarum causam esse; quod is anima nostra, tanquam omnipotentiae suae instrumente utatur, pro nutu suo, atque arbitrio. Quae ratio, si quid sapio, ex humanae naturae laesione, & corruptione non ducitur, sed ex nativa illius erga Conditorum suum subiectione, supremoque Dei in illam imperio, atque dominio. Ita SS. Doctor Enarratione in Psalmum 34. eum Davidis verum expendens, Effunde frumentum, & conclude adversus eos qui persequuntur me, dic anime meae saluta tua ego sum: ad quae verba sic habet: Quid est anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat, & pugnet de illa? Nam quilibet optime facta frumenta nisi habeat bellatorem, jacet. . . . Ergo quidquid vult facit de anima nostra; cum in manu ejus utatur de ea, quemadmodum vult. Intima igitur divinarum motionum efficaciam, aliunde quoque, quam ex vitiatate naturae nostrae infirmitate, petenda venit. Maxime cum ad creaturas univertas, ipsaque irracionales, atque corporeas, in quibus hujusmodi vitium, atque corruptio locum non habet, efficaces illas motiones, divinasque operationes protendat Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. Deus, inquit, se quibusdam ordinatissimis creaturae motibus, primo spiritualibus, deinde corporalibus, per cuncta diffundit, & utitur omnibus ad incommutabilem arbitrium sententiae suae, sive incorporeis, sive corporeis rebus, sive rationalibus, sive irrationalibus spiritibus, sive bonis per ejus gratiam, sive malis per propriam voluntatem. Sed quemadmodum corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vite. . . . & spiritus vite rationalis deserit, atque peccator per spiritum vite rationalem pium, & justum, & ille per ipsum Deum, ac sic universa creatura per Creatorem suum, ex quo, & per quem, & in quo etiam condita, atque instituta est: Ac per hoc voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium specierum, atque motuum.

CAPUT XVIII.

Non esse efficacis gratiae necessitatem ex sola humanae naturae corruptione derivandam, certis considerationibus, atque exemplis ab Augustino datis, ostenditur.

I. Quod superiori capite Augustini auctoritate probatum est, hoc idem certis considerationibus, atque exemplis ab eodem producis magis, magisque confirmatur.

Primo si gratiam per se efficacem necessariam duntaxat faceret naturae lapsae corruptio, atque infirmitas, consequens profecto esset, nullam ibi fore gratiae efficaciam, ubi nulla est naturae infirmitas, atque corruptio: (Consecutionem hanc tantum abest ut negent Theologi recentiores, ut eam potius eliciant, suoque accommodent instituto) porro, inquit ego, in Christo Domino nulla hujusmodi naturae corruptio fuit, vitium plane nullum: in ejus quoque Virgine Matre nulla vitiatate naturae depravatio fuit, seu illam absque originaria labe conceptam dicas, quod pia ponit opinio; seu peccati fomitem in prima illius sanctificatione ligatum velis, ac tandem in Verbi Dei conceptione prorsus extinctum, quod Theologorum

unanimis assensus affirmat: nulla igitur in Christo Domino, ejusque Virgine Matre gratia per se se efficacis fuit, in ea, quam impetimus, Theologorum hypothese. Quis id credat? nullam in iis fuisse gratiam efficacem, qui ceteris omnibus efficacius, indeclinabilis, insuperabilis (ut loquitur Augustinus) Spiritus Sancti gratia ducebantur, movebantur, agebantur? Nullam in auctore gratiae, nullam in Matre gratiae victricem gratiam extitisse, quis sibi facile in animum inducat? Non ita profecto Augustinus, qui potius omnis gratiae cumulum eo maxime titulo in Christo fuisse docet, quod ex illo, tanquam ex capite, ad nos omnes tanquam in membra dimanent. Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiae, unde secundum uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundit. Ea gratia sit ab initio fidei suae homo quicumque Christianus, quae gratia homo ille ab initio factus est Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de quo ille est natus; eodem Spiritu sit in nobis venisio peccatorum, quo Spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum. Lib. de Predest. Sanct. cap. 15.

Et quidem ab eruditissimis Theologis scire velim: num gratia per se efficacis statui Christi Domini, ad operationes Theandricas exercendas repugnaret? Si dixerint repugnasse: rationem quaeso nobis assignent, quare de illo sit dictum Lucae 4. agebatur a spiritu in desertum. Cum enim ex eo Apostoli loco ad Rom. 8. quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, gratiam se ipsa efficacem, qua ducuntur illi, atque moventur, colligat Augustinus, maxime vero cap. 2. de cor. & grat. Lib. de gestis Pelag. cap. 3. Serm. 43. de verbis Domini: non est cur non etiam in Christo gratia, per se efficacis inferatur, qui a spiritu quoque actus dicitur in desertum. Si vero gratiam se ipsam efficacem in Christo non repugnasse respondeant: rationem rogo proferant nobis, cur ea in Adamo repugnet, propter statum iustitiae originalis; & non repugnet in Christo, in quo tota perfectio iustitiae originalis cumulatifime reperitur?

II. Secundo, si ex primava humanae naturae sanitate, expeditissimaque arbitrii libertate ortum esset, ut nulla tunc primus homo, ad bonum supernaturale peragendum, egeret gratiae efficaci; consequens profecto esset, ut ubi major est sanitas, ibi minor esse debeat efficacis gratiae necessitas; ubi expeditior, soluciorque libertas est, ibi quoque minor sit ad gratiam subiectio, minorque, ut Schola loquitur, dependentia. At contra potius statuit Augustinus Epist. 157. Haec enim voluntas libera, tanto erit liberior, quanto sanior; tanto autem sanior, quanto divine misericordiae, gratiaeque subiectior. Non itaque ex primava sanitate, atque integritate naturae factum est, ut minus tunc efficaci egeret gratia, minusque subesset Deo, veluti torius boni fonti, atque principio; sed ut nullius medicinae ope, qua sanaretur infirmitas, indigeret. Uti proportione quadam contingit ad praesens, in nonnullis eximiae sanctitatis hominibus, qui diuturnis poenitentiae laboribus carnem suam crucifixerunt cum vitis, & concupiscentiis, peccatique fomitem propemodum extinxerunt, de quibus loquitur Apostolus ad Galat. 5. Si sane non idcirco minus efficaciter excitantur, aguntur, moventur spiritu Dei; imo ob id ipsum aguntur multo magis: tamen medicam virtutem minus tunc in illis exerceat gratia, quae minus tunc in illis invenit, quod sanet, quod restituet, quod reficiat.

III. Tertio, si sola veratilis gratia ad pium opus edendum eguisset Adamus, propterea quod nulla rebellanti concupiscentia premeretur; quid-